*Pſalterium à decachordo diverſum. Latior uſus & notio pſalmi & Pſalterii.*

lunt. Sed fateor latiorem eſſe uſum ac notionem Pſal- A
mi Pſalteriique, ut comprehendat hymnum, ſive oden,
canticumve, & etiam de profanis cantionibus dici, quæ
ad quondocumque muſicum inſtrumentum recitentur:
quemadmodum apud nos lyra & cithara ſumuntur pro
quovis inſtrumento. Teſtatur id tam crebra apud Co-
micos mentio Pſaltriarum, ut cenſeri poſſit ratio quo-
que nominis in propoſito generalior eſſe, ac varium
muſici genus inſtrumenti comprehendere: licèt paſſim
Patres certum deſignent inſtrumentum, quod attinga-
tur ſupernè, ac myſticas in eo ipſo rationes excogitent:
qualis Ambroſii alludentis ad parœmiam qua & Cicero
*a* uſus eſt, qua dicitur quis ictus canere, ut ferunt, in-
quit, de Aſpendioithariſta; & quemadmodum hor-
tabatur Paulus *b*, *pſallere mente*. Immo adhuc magis
communi notione *pſalterium* dicetur à Pſalmo, non ab
inſtrumento dumtaxat: & *Pſalmus* hoc libro amplecte-
tur carmen omne ſacrum, & laudem Dei metricè ſcri-
ptam, ſive ſolo ore, ſive inſtrumento decantatam.
Quin etiam tranſiit *Pſalterii* vox, ut eſt apud Paulum
Juriſconſultum *c*, ad Canticum, quod in alterius infa- B
miam compoſitum publicè cantatur.

*a Act. 3. in Verrem.*
*b 1. Cor. 14.*
*Pſalterii vox ad quid tranſlata.*
*c ſ. l. 5. Tit. de Injur.*

Addi & verbum poteſt de *Cymbalis* & *Cythara*. *Cym-*
*bala* Joſephus docet, lata & magna fuiſſe: Græci etiam,
cava. Æs, materia erat, ut auctor idem Hebræus tradit,
vocanturque ænea in Scriptura *d*. Duo ſimul adhibe-
bantur, atque percuſſione mutua ſonum efficiebant,
dum quatereutur *e*, ut Iſidorus *f* prodit; & idcirco cum
duplici labio noſtro comparant Clemens Alexandrinus
*g*, & Auguſtinus *h*. Vult Beda *i* ex permiſtis metallis mi-
nimas phialas velut in ventriculo fuiſſe, quæ cum arti-
ficio colliſæ acutiſſimum ſonum delectabili collatione
reſtituerent. Videri poſſunt, quæ vulgo vocamus *Sona-*
*glie*. Aliqui confundunt cum crotalis, aut ſiſtris. Utun-
tur Mauri hoc quoque tempore orbibus ex ære cum fo-
raminibus, quibus digitos inſerunt, & eos reductis ſupra
caput manibus inter ſe ad numerum collidunt.

*Cymbala qualia fuerint.*
*d 1. Par. 15. v. 19.*
*e ibid. 16.*
*f l. 3.*
*g 2. Pædag. cap. 4.*
*h in Pſ. 150.*
*i ib. dem.*

De cithara parum eſt, quod dicatur, nomine congruit
cum Hebræo כנור *chinnor*, quæ Græcè *cinyra* idem va-
lens, nec differt à lyra, quod etiam nomen Interpres
aliquando *k* pro dicto ponit Hebræo. Joſephus attribuit C
ei decem chordas, & plectri pulſum.

*Cithara quale inſtrumentum.*
*k 1. Par. 16.*

## CAPUT X.

### *Cur dicantur ſoliloquia de Chriſto, quod argumentum Pſalmorum.*

*Pſalmi de Chriſto & Eccleſia loquuntur.*

MEminit Beda de alio titulo, ut appelletur *liber ſo-*
*liloquiorum de Chriſto*; videlicet quoniam etſi de
Eccleſia quoque agat, præcipuè tamen de illo, & pro-
pter magnam conjunctionem corporis, & capitis de
Chriſto per membra cenſetur loqui. Omnis Chriſtum
Scriptura loquitur, & quidquid de magnificis Dei ope-
ribus, aut de virtutibus vitiiſque tractat, ad Chriſtum
refert. At liber Pſalmorum, inquit, Baſilius *l*, τὸ ἐκ πάν-
των ὠφέλιμον περιείληφε, καὶ κοινὸν ταμεῖόν ἐστιν ἀγαθῶν διδαγ-
μάτων, *quidvis in ſe complectitur, quod uſui ſit, & bona*
*omnis doctrinæ commune promptuarium eſt*. Dionyſius
*m* idem verbis oſtendit multis, ac tandem concludit:
probans in rebus omnibus ſacris uſurpari debere. Ἡ δὲ
τῶν θείων ᾠδῶν ἱερογραφία, σκοπὸν ἔχουσα τὰς θεολογίας τε, καὶ
θεουργίας ἁπάσας ὑμνῆσαι, καὶ τὰς τῶν θείων ἀνδρῶν ἱερολογίας τε
καὶ ἱερουργίας ἀινίσαι, καθολικὴν ποιεῖται τῶν θείων ᾠδὴν καὶ ἀφή-
γησιν, πρὸς πᾶσαν ἱεραρχικῆς τελετῆς ὑποδοχὴν, καὶ μετάδο-
σιν; ἕξει οἰκείως ἐμποιοῦσα τοῖς ἐνθέως αὐτὴν ἱερολογοῦσι.
*Divinorum autem cantuum ſacroſanctus liber, cui hoc*
*unum propoſitum eſt, Dei verba, & opera omnia laudare,*
*ſanctaque divinorum virorum verba, atque facta ornare*
*laudibus, generalem adhibet rerum divinarum & cantum,*
*& expoſitionem, atque ad omnia Pontificia ſacramenta*
*& adipiſcenda, & mandanda, ſive communicanda aptum*
*animum affert iis, qui ipſum divinè ac ſanctè recitant.*

*l Proleg. in Pſalmos.*
*m c. 3. Eccl. Hierarch.*

Multa Nyſſenus *n* affert, ac prolatis confirmat Pſal-
morum locis, quibus demonſtret ſcopum hujus libri
eſſe virtutem, & viam ad fœlicitatem, quæ conſiſtit in
Deo. Hilarius *o* docet, totum illud quod in Pſalmis eſt,
ad cognitionem adventus Domini noſtri Jeſu Chriſti,
& corporationis, & paſſionis, & reſurrectionis, noſtræ
quoque, gloriam, virtutemque referri. Hanc etiam ait
eſſe *clavem David*, de qua in Apocalypſi *p* agitur, nem-
pe quod Chriſtus adventu ſuo, implendo quæ de ipſo
prædicta erant Pſalmos reſeraverit *q*, atque ita idem,
qui *radix David r* dicitur, ſolverit ſignacula libri
ipſius.

*n Tract. 1. in Pſ. c. 4. & ſeq. Pſalmorum ſcopus.*
*o Proœ. in Pſ.*
*Clavis David.*
*p cap. 3. 7.*
*q Luc. ult. 45*
*r Apoc. 5. 5.*

Rupertus *ſ*, *clavem David* exponit de Pſalmis ejus,
qui dici poſſint *clavis ſcientiæ t*, quod inſtar aliorum
omnium Prophetarum cenſeantur. Sed & omnes pene
Pſalmi, ait Tertullianus *u*, Chriſti perſonam ſuſtinent,
Filium ad Patrem, ideſt, Chriſtum ad Deum verba fa-
cientem repræſentant. Sunt quoque permulta in Pſal-
mis, quæ non poſſunt alteri, quam Chriſto convenire,
ut argumentantur Petrus *x*, & Paulus *y*, & idem Ter-
tullianus *z*. Judaizantes tamen, ac Theodoro Mopſue-
ſtenus, ut initio memini, de Chriſto ne verbum qui-
dem, contineri in Pſalmis affirmant: Cajetanus vero
Pſalmos, qui Davidi convenire poſſint, excluſit à Chri-
ſto: quem refellit Catharinus *a*.

*ſ in c. 3. Apoc.*
*t Luc. 11. 52.*
*Pſalmi inſtar omniũ aliorum Prophetarum cenſetur.*
*u cont. Praxeam. c. 11.*
*x Act. 2. 24.*
*y Act. 13. 22 &c.*
*z cont. Jud.*
*De Chriſto ne verbum quidem contineri in pſalmis, affirmant Judaizantes. Cajetanus refellitur à Catharino.*
*a 2. Annot. cont. Cajet.*

Præter Tertullianum Hieronymus, Hilarius, Theo-
doretus, Auguſtinus *b* præ aliis diſertè admonent, omnes
Pſalmos in perſona Chriſti loqui: ſecundùm Evange-
licam prædicationem intelligi oportere, ac de Chriſti
myſteriis, ejuſque Eccleſia. Reprehendit Judæos Theo-
doretus, quod malitiæ aſſueti, & ſuæ infidelitatis ex-
cuſationem contexentes, aliis quibuſvis rebus Pſalmos
adſcribant potius quam Chriſto. At Auguſtinus Eu-
gubinus teſtis *c* eſt: conſentientibus Judæis, Chriſtum
in primis ſpectaſſe, ac deſignaſſe Pſalmos, perinde ut &
Sibyllina Oracula. E contrario demonſtrat Lindanus
*d* eoſdem Judæos nonnulla Pſalmorum clariora de
Chriſto corrupiſſe teſtimonia, quod & nonnulli Pa-
tres dixerunt, noſque admonebimus locis ſuis. Lege
Salmeronem *e* & Leonem Caſtro *f*. Denique vocat
Gloſſa *Pſalterium*, conſummationem totius Theolo-
gicæ paginæ.

*b 17. de Civ. c. 15. & ſeq.*
*Omnes pſalmi quo modo in perſona Chriſti loquantur.*
*c Præf. Pſal.*
*Pſalmi Chriſtum deſignant, ut & Sibyllina oracula.*
*d l. 1. de Optigen. interp. Script. c. 6.*
*e Tom. 1. Proleg. 4.*
*f in Apolog.*

## CAPUT XI.

### *Ad quam partem Scripturæ Pſalmi pertineant.*

*Diviſio Scripturarum veteris Teſtamenti.*

INter varias diviſiones Scripturarum V. Teſtamenti,
una eſt in Legem, Prophetas, hagiographa: alia in
libros legales, hiſtoriales, ſapientiales, prophetales.
Colliguntur hæ diviſiones ex Hieronymo *g* Auguſtino
*h*, Baſilio *i*, tractatque de illis Michael Medina *k* He-
bræi conjiciunt in hagiographa, quæ veluti de ſanctis
rebus à ſanctis viris prodita ſunt.

*g Prol galeato, & Præfat. in Daniel.*
*h 2. de Doct. Chriſt. cap. 8.*
*i Prol. in Pſalmos.*
*k 6. de Fide cap. 3.*

Verumtamen priùs oſtendimus Pſalmos eſſe prophe-
ticos, ac vaticinationes continere de Chriſto: nec du-
bitat Auguſtinus in ea claſſe collocare, tametſi hoc no-
men ſoleat magis propriè dici de libris illorum, qui co-
gnomen Prophetarum gerunt in titulis ſuis. Chriſtus
aliquando diſtinxit *l* in Legem Moyſi, Prophetas, &
Pſalmos. Sed & interdum omne Vetus Teſtamen-
tum in Legem, ac Prophetas diſtingues *m* ſub Pro-
phetis Pſalmos comprehendit: ſed hac de re in c. 2. jam
dixi.

*l Luc. 24. 44.*
*m Matt. 5. 17 cap. 7. 12. cap. 22. 40.*

Hinc porrò præterea quæ dicta ſunt capite decimo,
quæ libri materia ſit, cognoſci poteſt generatim. Nem-
pe, ut Chryſoſtomus ac Anaſtaſius docet Antiochenus,
partim moralis, partim dogmatica eſt: aliquando hiſto-
rialis, interdum prophetica. Longior Argumenti parti- D
to in decem veluti chordas, minutior mihi videtur: de
laudibus Dei: & legis: & viri juſti: & Eccleſiæ; de repre-
henſione idololatriæ: & infidelis improbique hominis:
de ſtatu, populi Hebræi ſeù ſecundùm beneficia illi col-
lata, ſeù vitia coarguendo: de captivitate Babylonica,
redituque ex ea; de ſua ipſius perſona; denique de Chri-
ſto. Vel aliter, de commendatione virtutis, vitii vi-
tuperatione; de precibus pro bonis; iidem contra
malos; item pro ſeipſo; contra hoſtes ſuos; de gra-
tiarum actione; rurſus de petitione præmii pro ſe
juſtiſque; de Chriſto; de attributis Dei. Eamdem
partitionem duplici ratione Agellius proponit, & ex-
ponit, Auctor certè de clericis regularibus Theatinis
eruditus: cujus luculenti recens in Pſalmos commen-
tarii, ſenſum ſectantes inprimis litteralem, in urbe
prodierunt. Alios legi alio modo chordas iſtas decem
diſtinguentes de attributis divinis in genere; de operi-
bus Dei circa mundum; de providentia; de populo He-
bræo: de Meſſia: de propagatione populi fidelis poſt
adventum Meſſiæ: de conſummatione ſæculi, judicio,
reno-

*Pſalmorum materia.*
*Argumenti partitio.*



renovatione mundi: de finibus bonorum & malorum: A
de ratione bene vivendi: & de illa quam reprobi tenent:
poſtremò de ipſomet Davide. Illud omnino verè à mul-
tis dicitur, Pſalterium totius quamdam Scripturæ ſum-
mam eſſe; hocque præterea ceteris excellere ſacris libris
quòd pios affectus plures, ſæpiuſque admixtos habet.

*Pſalterium totius Scripturæ quædam ſumma.*

Nam cum profanis poetis non eſt quòd ſacrum no-
ſtrum comparemus. Tractant illi vel obſcœna, vel fal-
ſa & fictitia: vel naturalia tantùm & humana. Quidam
ex iis vocantur theologi, qui Deorum laudes cecinerunt
ut Orpheus, Linus, Muſæus: alii phyſici, qui res natu-
rales, ut Empedocles, Lucretius: aliqui politici, ut
Solon, Theognis: nonnulli Oeconomici, ut Heſiodus:
præterea hiſtorici, ut Homerus, Virgilius: aſtrono-
mici, ut Aratus, Manilius: denique nonnemo ſcripſit
vaticinia, ut Sibyllæ. David omnia iſta genera com-
plexus eſt; multo antiquior, quàm Homerus, qui an-
tiquiſſimus habetur eorum quorum extent omnino cer-
ta & integra opera, licèt poſterior Sibyllis, præſertim
Erythræa, Orpheo, Lino, Muſæo, Amphione, qui
præceſſerunt bellum Trojanum: poſt quod Homerus, B
quidem circiter ducentis: David facilè centum annis
fuit, ut ex hiſtoriis elicitur. Scribit Chryſoſtomus *a* de
omnibus naturalibus in Pſalmis agi.

*David antiquior quàm Homerus: poſterior Sibyllis, Muſæo & aliis.*
*a Hom. 23 in Epiſtol. ad Roman.*

## CAPUT XII.

### *De Titulis Pſalmorum.*

*Titul. Pſalmorum cen fuerunt aliqui obliterandos. Errores Theodori, Mopſueſteni.*
*b 3. con. Neſtor. & Euty. ch. num. 15.*
*c Præfat. in Pſalm.*
*Pſalmorum inſcriptiones in prima origine uſque ad Ptholemæi tempora delatæ.*
*Ab Eſdra confecti Pſalmorum tituli.*
*d ibid.*
*e 2. de Compunct. cor.*
*Ab Spiritu S. dictati Pſalmorum tituli.*
*f in Pſ. 3.*
*g Horat 3. car. ode 24.*
*h Præ. in Pſ.*
*i in Pſ. 58.*

REs hæc adeò difficilis, & obſcura eſt, ut aliqui ma-
ximæ auctoritatis, ac dignitatis etiam ſummæ vi-
ri, cenſuerint obliterandos. Inter errores Theodori
Antiocheni ſive Mopſueſteni ponit iſtum Leontius By-
zantinus *b*, ut antè c. I. retuli, quòd inſcriptiones Pſal-
morum penitus ejeciſſet, ſicut & Canticorum. Meritò
tamen retenti ſunt, quum Patres tanti eos faciant, ac
in iis exponendis adeò laborent. Theodoretus *c* teme-
ritatis arguit invertere inſcriptiones Pſalmorum, quæ
in prima, inquit, origine uſque ad Ptholemæi tempora
delatæ ſunt, & ab Interpretibus lxx. in Græcam lin-
guam tranſlatæ. Exiſtimant nihilominus aliqui ab Eſ- C
dra confectos titulos, ut S. Thomas: *d* quod etſi fortaſ-
ſis verum non eſt, ad auctoritatem Canonicam nihil
refert. Chryſoſtomus *e* diſertè docet ab Spiritu ſancto
dictatos Titulos. Rurſum repetit Theodoretus, rem
nimiæ temeritatis, & confidentiæ plenam arbitrari ſe,
falſas illas inſcriptiones exiſtimare, & noſtras rationes
vi ſancti Spiritus ſapientiores judicare. Idem Chryſo-
ſtomus *f* titulos comparat cum ſtatuis, quas reges po-
nunt aſſecuti victoriam: cum columnis & inſcriptioni-
bus, quas aurigis & athletis: cum libris, in quibus de-
ſcribuntur victorum laudes. Unde *g* ille.

*Si quæret pater urbium*
*Subſcribi ſtatuis*, &c.

Hieronymus *h* titulos nominat claves Pſalmorum. Au-
guſtinus *i* docet, Titulum Pſalmi, eſſe frontem ſubli-
mitate ſacramenti decoratam, ut ſciamus qui intratu-
ri ſumus, quum tamquam ſuper poſtem, quid intus aga-
tur, legerimus, vel cujus domus ſit, vel quiſnam ſit illius
prædii poſſeſſor. Heſychius citatus à Barbaro in catena
ad pſalmum 30. non ſatis profectò commodè in catena
iſtis loquitur eorum quoque refellens rationes, quas alii
Patres aſſignant.

*Non ſunt ejuſdem rationis omnes Pſalmorum tituli. Nomina virorum in Pſalmis expreſſa. Præter nomina propria quidam aliud Pſalmorum titulis annexum. Alii tituli deſignant diem qua recitãdi forent: alii aliter ſe habent.*

Porrò non ſunt ejuſdem rationis omnes tituli, in ali-
quibus exprimitur nomen proprium virorum, *David*,
*Aſaph*. *Iditun* (ſi tamen hoc non eſt nomen inſtrumen-
ti, aut non idem cum *Ethan*) *Salomonis*, *Moſis*, *Eman*,
*Ethan*, *Jeremiæ*, *Aggæi*, *Zachariæ*, *filiorum Core*, *fi-*
*liorum Jonadab*. Nonnullis præter nomina propria
quidpiam aliud annectitur, quod ad argumentum vi-
detur pertinere. Nonnulli Tituli denotant genus vel
modum, qui ſervari debebat in recitando, ſeu per vo-
cis, ſeu per inſtrumenti muſici modulationem, ſeu
utraque ſimul ratione.

Alii deſignant diem, qua propriè recitandi forent
certi Pſalmi, ut primam diem Sabbati, ſecundam, quar-
tam, quintam, ante Sabbatum, diem ipſam Sabbati.
Habent aliqui *hale luyah*: quidam cognomen *Graduum*:
nonnulli *orationis*, *laudationis*, *intellectus*, *cantici*,
*cantici Pſalmi*, *verborum cantici*, *Pſalmi cantici*, *lau-*
*dis cantici*, *hymnorum*: *In finem*; *Pro torcularibus*: *Pro*
*maleth*: *Pro maheleth*: *Pro arcanis*: *Ne diſperdas*,
*vel*, *Ne corrumpas*: *Pro iis qui immutabuntur*: vel
*commutabuntur*: *Pro extaſi*: *Pro ſuſceptione matutina*;
*Pro octava*: *Pro occultis*; *In rememoratione*; *In confeſſione*;
*In carminibus*; *In conſummatione tabernaculi*. *In de-*
*dicatione reſurrectionis*. Denique quidam Pſalmi ſunt
alphabetarii; nonnulli anepigraphi, abſque titulo &
inſcriptione. Cujus rei ratio affertur, vel quòd qui
poſt alios inſcriptos ſequuntur, ſint ejuſdem argumen-
ti cum præcedentibus; vel, quod attinet ad primos
duos, quia contineant veluti argumentum totius li-
bri, & ſummam; quæ eſt beatitudo, ita ut in hujus li-
bri capite, quod ſuo dicetur loco, dicatur de Chriſto
ſcriptum, qui ſermonem cap. 5. Matthæi deſcriptum
orſus eſt à beatitudine, rumpens eo modo vocem, & ſe
deſtinans aræ *k*. De his tractatu ſeparato agit Nyſſe-
nus; & nonnihil Euthymius in Præfatione, ac Atha-
naſius in Synopſi, ſatiſque diligenter Agellius; nos po-
ſtea, prout ſeſe offeret occaſio; maximè, quum non
parva diſſenſio ſit in editionibus.

*k Æneid. 2*

Illud tantùm de nominibus propriis Auctorum, qui
longè poſt David tempora fuerunt, monemus cum Au-
guſt. *l* ne quis propterea illius, non eſſe dubitet, Pſalmos,
qui illa nomina gerunt; Neque enim non potuit pro-
pheticus Spiritus, inquit, prophetanti regi David
hæc etiam futurorum Prophetarum nomina revelare,
ut aliquid, quod eorum perſonæ conveniret, prophe-
ticè cantaretur; Sicut Rex Joſias *m* exorturus, & re-
gnaturus poſt annos ampliùs trecentos, cuidam Pro-
phetæ, qui etiam facta ejus futura prædixit, cum ſuo
nomine revelatus eſt. Adde Cyri nomen tanto antè ab
Iſaia *n* expreſſum. Poſtremò, non debet nos tenere,
vel pudere, ſi Titulorum omnium rationem exactè
reddere nequeamus; confitetur Auguſtinus, *o* arcana
omnium Titulorum, qui ſunt in Pſalmis, & ordines
eorumdem Pſalmorum, & magna eſſe ſe credere, & non-
dum, ſicut voluit, penetrare potuiſſe. At certum eſt,
nonnullos Pſalmos, ut 13. & 52. ſi demas titulos, vix
diſtingui, quum iiſdem conſtent verſibus verbiſque. Di-
ſtinctionem certè illorum Hilarius, Euthymius, alii- C
que, aſſignant ex diverſis titulis. Idem ferè judicium
de 107. qui conflatur partim ex 56. partim ex 59.

*l 17. de Civ. c. 14.*
*Futurorum Prophetarũ nomina titulis Pſalmorum inſcripta David revelata. Joſias Rex cuidam Prophetæ ante trecentos annos ortus ſui, revelatus.*
*m 3. Re 13. 2.*
*Cyri nomen ante ortum ab Iſaia expreſſum.*
*n cap. 44. 28. 45. 1.*
*o in Pſ. 105.*
*Pſalmorum quorumdã ex titulis diſtinctio.*

## CAPUT XIII.

### *De Editione Pſalmorum Latina.*

EDitionem Latinam vulgatam non modò Pſalmo-
rum, ſed totius quoque Sacræ Scripturæ, ut nunc
approbata eſt à Sede Apoſtolica, omninò certam, &
Canonicam eſſe, ut certum pono; de Pſalmorum edi-
tione ſolùm nunc ago.

*Hieronymi labor circa interpretationem Pſalmorum, circa quam quater verſatus eſt.*

Hieronymus quater in hac laboravit. Nam primùm
illam, quæ ex Traditione Interpretum lxx. fuerat ab
alio confecta, emendaſſe ſe teſtatur, *p* & ab Urbe Ro-
mana receptam fuiſſe; quum Damaſus illum ad id fa-
ciendum impuliſſet. Deinde, petente Sophronio, vertit
immediatè ex Hebraico puro fonte; *q* quæ verſio extat
in operibus ipſius. Tertiò, ut ſatisfaceret Paulæ ac
Euſtochio, admiſcuit editione lxx. editionem Theo- D
dotionis, obelis & aſteriſcis notatam. *r* Denique pro-
pria epiſtola ad Suniam & Eretelam *ſ* annotavit diſcre-
pantiam inter Pſalterium Græcum, ac Latinum, ad-
monens quodnam Hebræo magis congrueret.

*p 2 contra Ruffin.*
*q Epiſt. 135.*
*r Præfat. in Pſalterium.*
*ſ Epiſt. 135.*
*t in Chr. an. 381.*

Facit Sigebertus *t* de Pſalterio triplici mentionem,
in quo poſuerit operam Hieronymus. Primum ait fuiſ-
ſe ſecundùm Septuaginta, & in omnibus Eccleſiis can-
tatum, à Hieronymo autem correctum; quia id Ro-
manum; Alterum, poſtquam illud aliud iterum vitia-
tum fuiſſet, ſcribit denuo totum compoſitum ab eodem,
quod à lxx. Interpretum editione non multùm diſcor-
daret, & cum Hebraico multum concordaret; quoniam
autem rogatu Hieronymi Damaſus in Gallicanis Ec-
cleſiis inſtituit cantari, Gallicani Pſalterii nomen reti-
nuiſſe. Tertii condendi, quod Hebraicum nominatur,
quod ex Hebræo expreſſum eſt verbo ad verbum, cau-
ſam docet fuiſſe, quia duo priora non ſufficiebant ad
proponenda teſtimonia de Chriſto contra Judæos, qui
non recipiunt niſi ea, quæ habentur in Hebræo; So-
phronium verò, qui ſuaſerat id Hieronymo, tranſtu-
liſſe in Græcum.

*De Pſalterio triplici in quo poſuit operam Hieronym. Pſalterium Romanum unde dictum.*
*Gallicani Pſalterii nomen unde retentum. Sophronii Græca Pſalmorum tranſlatio. Pſalterium quo utitur Eccleſia fere omnis, ex editione interpretum. LXX.*

Viget paſſim ſententia, Pſalterium, quo utitur omnis ferè Eccleſia, maximè poſt Breviarium à Pio Quinto emendatum, quodque in textum Bibliorum item à Sixto V. & Clemente VIII. emendato tum, inſertum eſt, eſſe ex editione Interpretum lxx. quam editionem lxx. Græcam (de Latina idem videtur) bona Genebardus *a* conjectura notavit pluſquam ceterarum ſcripturarum puram conſervatam, ob frequentiorem uſum Pſalmorum apud omnes. Romano conceſſit S. Petri Clero Pius Quintus facultatem, utendi editione illa vetere Pſalmorum, quam ceteræ uſurpabant priùs urbis Eccleſiæ, & ad illam pertinere videtur aliorum quoque librorum ſacrorum editionem Latinam, quæ vocabatur Itala, ut meminit Auguſtinus *b*, quam Gregorius *c* veterem vocat, & ſæpè Hieronymus vulgatam. Ab hoc Pſalterio id, quod recitat Eccleſia Mediolanenſis, diciturque Ambroſianum, non valde diſcrepat. In Hilario, Ambroſio, Auguſtino, Hieronymo, etiam cum ea editione, quam interpretatur ſub ſuo Commentario, nonnullum diſcrimen obſervo, ab eo Pſalterio, quo plurimi utimur.

*a Præfat. in Pſ. ad Greg. XIII.* Edit. LXX. interpretum cut pluſquam ceteræ Scripturæ pura conſervata. Qua editione Pſalmorum vetere & quibus à Pio V. uti conceſſum. *b 2. de Doct. Chriſt. c. 15. 18. de Civ. c. 43.* *c Præf. Mor. cap. ult.* Ambroſianum pſalterium. Circa Pſalterium non nulla diſcrimina.

Quin etiam colligo ex Auguſtino *d*, quod publicè cantabatur, non penitus conveniſſe cum noſtro. Nam, exempli cauſſa, teſtatur, ne offenderetur populus, cantari ſolitum ex quodam Pſalmo, *e Non eſt occultatum os meum*: item ex alio *f*, *Super ipſum autem florebit ſanctificatio mea*. Hieronymus *g* præterea meminit in Pſalmo *h* alio decantandum eſſe: *Quieſcere faciamus omnes dies feſtos Dei à terra*. Sicut verterant lxx. propter jam receptum diu uſum, quum tamen juxtà editiones alias Græcas, & Hebræam, dicendum foret, *Incendamus*, &c. Experimur & nos hoc tempore in feſto Epiphaniæ diſcrimen lectionis Pſalmi nonageſimi quarti, ut recitatur tunc, & ut omni alio tempore in invitatorio, quod vocant matutini.

*d in Pſ. 138 de doct. cap. 3. lib. 4 c. 10.* *e Pſ. 138. 15.* *f Pſ. 131. 180.* *g Epiſt. 135.* *h Pſ. 73. 8.* Diſcrimen lectionis Pſalmi nonageſimi quarti.

Sentit Lindanus *i*, vulgatam Latinam, qua utitur Eccleſia, Pſalmorum interpretationem non eſſe ex lxx. Interpretibus deſumptam. Nam v. g. quod legimus in Pſalmo XXXVII. *k Quoniam lumbi mei impleti ſunt illuſionibus*: Ambroſius monet, Symmachum ita vertiſſe, non lxx. illos autem; *Quoniam anima mea impleta eſt illuſionibus*: quæ lectio eſt in Pſalterio veteri, & Romano, & Ambroſiano, & Arabico, & Æthiopico, & in Metaphraſi Apolinarii, qui ϑυμὸν ponit. In Pſalmo *l* 39. eſt. *Aures autem perfeciſti mihi*: Paulus verò, qui ſolet ſectari lxx. citat *m*: *Corpus autem*, &c. quo pacto redditum à lxx. refert Chryſoſtomus; ex libris autem Hebræis, *aures*. Apollinarius quoque legit σάρκα. In Pſalmo 67. *n* quod geminando legimus: *Rex virtutum dilecti dilecti*; negant Auguſtinus *o* apud lxx. repeti. De Pſalmo 73. jam dixi ex Hieronymo. Juſtinus *p* illud Pſalmi 81. *q Vos autem ſicut homines moriemini*, ait eſſe ſecundùm lectionem Judæorum, ideſt, Symmachi, & Theodotionis, ſed lxx. reddidiſſe, ἰδοὺ, &c. *Ecce autem*, &c. Pluribus res eadem pateſcet, quando ad ſingulos Pſalmos deſcendemus.

*i Lib. 3. de Opt. gen. interp. Scr. c. 6* *k verſ. 8.* *l verſ. 7.* *m Heb. 10. 5.* *n verſ. 13.* *o ibidem.* *p cont. Tryphon.* *q verſ. 7.*

Illud ſatis conſtat, vetuſtiores Patres Græcos editionem unam lxx. totius ſcripturæ ſumma veneratione proſecutos, ceteras ad hujus tantùm explicationem majorem adhibuiſſe; Latinos eam, quæ de priore eſſet expreſſa, ſolam recepiſſe; quamvis in utraque nonnihil variatum fuerit, ut rectè demonſtratur Præfatione ad editionem Latinam ſecundum lxx. Sixti V. auctoritate reſtitutam.

LXX. Interpretum editio quarta in veneratione.

Quod attinet ad Pſalterium, frequentatur id, quod ex antiqua Latina editione de lxx. expreſſa Hieronymus emendavit: aliud vetus, & Romanum vel erant ex aliis, vel ex eadem, ſed nondum à Hieronymo emendata. In Miſſarum introitibus, Gradualibus, Communionibus, & in Pſalmo, *Venite exultemus ad matutinum*, utimur præterea Romano.

Ad extremum, quod reliquæ Scripturæ commune eſt, monetque Arnobius *r*, Ambroſius *ſ*, Gregorius *t*, Auguſtinus *u*, non hìc requirenda elegantia, non curandi Donati aliorumve canones Grammaticorum. Quamquam de hac editione Pſalmorum, tum Græca, quam dicunt eſſe lxx. ſed emendatam à Luciano, & idcirco cognominatam Lucianæam, tum Latina, quam ex illa factam correxerit bis Hier., Conradus Pellicanus, quamvis pravæ religionis auctor, ſcribit præfatione ad ſuam in Biblia, tanta dexteritate, eruditione & fide ad Hebraicum textum quoad ſenſum conſtare ſe deprehendiſſe, ut eruditiſſimum, & verè prophetali Spiritu præditum fuiſſe interpretem Græcum (lxx. interpretes dicere debuit) & Latinum dubitare ſe neget.

*r 1 conagentes.* *ſ l. 1. in Luc.* *t Præfat. Mor. c. ult.* *u 3. Confeſſ. c. 5. & conc. 3. in Pſ. 36.*

## CAPUT XIV.

### *De ſolemni Recitatione Pſalmorum.*

IN libro de Romanis Pontificibus Cęleſtino Papæ primo tribuitur Decretum anno circiter CCCCXXVI. vel CCCCXXX. editum, ut Pſalmi David cl. ante ſacrificium pſallerentur antiphonatim, quum priùs recitarentur dumtaxat Epiſtolæ Pauli, & Evangelia. Idem confirmant plures alii, quos citant Marcellus *x* Francolinus, & Jacob. Pamelius *y*. Sed Clictoveus *z*. ait, ad vitandum prolixitatis tædium, recitationem Pſalmorum integrorum permutatam in introitus, ex inſtitutione S. Gregorii, eademque videtur ratio de Graduali, Offertorio, Communione, ut etiam notavit Conradus Brunus *a*, & alii, qui de Ritibus, vel de dicto Cœleſtino ſcribunt. Ritus tamen hic antiquior eſt, ſaltem ſine alterno cantu, quia meminit Dionyſius *b*, & Caſſianus *c*, indicat quoque Hieronymus *d*, quem affert, ſequiturque Waldenſis *e*.

Decretum Cæleſtini Pontificis de pſallendis CL. Pſal. Davidis. *x Tract. de Hor. Can. c. 2* *y To. 1. Liturg. p. 534.* *z in Propug. Eccl. l. 1. c. 5. num. 6.* Recitatio Pſalmorum integrorum permutata. *a 2. de Ceremon. cap. 1.* *b Cœl. Hier. c. 3. Par. 3. c. 3. Inſt. c. 11.* *d in c. ult. Iſ.* Pſalmorum die noctéque per omnes Eccleſ. recitatio. *e Tom. 3. tit. 4. c. 31. n. 2. & 3.*

Damaſus ante Cœleſtinum Pſalmos juſſit die nocteque per omnes Eccleſias recitari, diſtinguendo in ſeptem partes pro diebus totidem hebdomadæ, ut memorant Durandus *f*, Onuphrius cum Platina *g*, Martinus Polonus *h*, Supplementum Chronicorum, lectio Breviarii Romani *i*, Beda *k*, Walfripus *l*. Sigebertus *m*, Polydorus Virgilius *n*, Beletus *o*, Radulphus Tungren *p*.

*f in Ration. l. 5. c. 2. n. 35 & 36.* *g in Vita.* *h in Chron.* *i in feſto Damaſi.* *k in Mart. 11. Decem.* *l de Reb. Eccleſ. c. 25.* *m in Chron. anno 382.* *n 6. De Inv. Rerum c. 2.* *o in Ration. c. 19.* *p De Can. obſerv. prop. 8*

Priùs inſtituerat cantum Pſalmorum Ambroſius in Eccleſia ſua circa annum 383. ut proditur ab Auguſtino *, Iſiodoro *, Rabano *q*, Radulpho Tungrenſi *r*, Smaragdo *ſ*, Paulino *t*, ſecutus Orientalis exemplum Eccleſiæ. Conſtantinopoli Chryſoſtomus, ne qui Catholici allicerentur alternata hymnorum ab Arianis modulatione, voluit idipſum Catholicos uſurpare, ut eſt in Hiſtoria Eccleſiaſtica *u*. De generaliore hoc more teſtes præterea Caſſianus *x*, Baſilius, *y* Suidas *z*, & ad Ignatii tempora referunt, Angelorum concinentium edocti viſione Socrates *a*, Tripartitas *b*, Nicephorus *c*. Sigebertus *d*: quem deinde morem ad Pſalmos Davidicos accommodaviſſe Flavianum & Diodorum monachos, ſcribunt Suidas *e*, Tripartita *f*, Theodoretus, *g* Sigebertus *h*.

Inſtitutio cantus Pſalmorum ab Ambroſio. * *9 Conf. c. 8* * *2. De Inſt. Clerico. c. 50.* *q De Canon. Obſerv. propoſit. 12.* Chryſoſt. cantus Pſalmorum inſtituit Conſtantinopoli.

Eſt tamen probabile, jam inde ab Apoſtolis in uſu fuiſſe cantum Pſalmorum, ſimul & aliorum hymnorum cum antiphonali illa, ſeu alterata per choros diſtinctos modulatione; nam ab Alexandrinis ſuis Philo *i* religioſis viris, quos noſtros putant multi *k* fuiſſe, id factum ſcribit. Facit & Paulus non ſemel *l* de recitatione Pſalmorum mentionem. Auguſtinus *m* aſſerit de Hymnorum & Pſalmorum cantu habere nos Domini & Apoſtolorum documenta, & exempla, & præcepta, immeritoque à Donatiſtis eſſe reprehenſum, quum ipſi ebrietates ſuas ad canticum Pſalmorum humano ingenio compoſitorum, quaſi tubas exhortationis inflamarent. Simile quid, ac deteriùs etiam de Paulo Samoſateno, capite primo retuli.

*r 1. in Reg. S. Pandect. c 9.* *ſ in Reg. S. Bened. c. 8* *t in vita Ambroſii* *u in vita Socrat. 6. Hiſt. c. 8. Soz. l. 8. c. 6 Trip l. 10 c. 6. Nicep. l. 13 c. 6. vel 8.* Cantus Pſalmorum jam inde ab Apoſt. in uſu probabile. *x 2. Inſt. c. 5. 8. 10. & ſeq.* *y Epiſt 63.* *z Verbo (Cho.)* *a lib. 6. c. 8.* *b lib. 9. c. 9.* *c lib. 2. cap 8* *d in Chron. anno 387.* *e ſupra.* *f lib. 5. c. 32.* *g lib. 2. c. 24.* *h ſupra, anno 382.* *i lib. de Supplich.*

Ab Hebræis manaſſe conſuetudinem alternatim pſallendi credit Polydorus *n*, negant Navarrus *o*, & Francolinus *p*. Hoc quidem tempore confusè omnes ſimul cantant, neque chororum quæ legitur inſtitutio à David *q* facta, vel ab Eſdra *r*, Polydoro favet neceſſario, quum poſſint quilibet chori, vel ſimul, ſed à ſe diſſiti canere, nil inter ſe communicando, ut in longa fit proceſſione: vel alter alteri poſtquam penitus abſolverit, ſuccedere. Redolet hæc alternatio beatam concordiam, qualis in Seraphim, quum clamabant alter ad alterum celebrando Deum, Triſagio hymno *ſ*: ſapit Evangelicam charitatem, & legem Evangelii novam. De *cantu* propriè dicto non diſputo. Arbitror Auguſtinum *t*, *cantandi* verbo abuti, quum id de *Miſſis* uſurpat, quas cantari vellent

Conſuetudo alternatim pſallendi unde emanaverit. *k Niceph. l. 8. c. 39. Euſeb. 2. Hiſt. c. 16. Soz. l. 1. c. 12. Tripar. c. 11. Hier. de viris illuſtr. c. 18. & 21. Epiſt. 22. Epiph. Hæreſi 29. Caſſian. 2. Inſtit. cap. 12.* *l 1. Cor. 14. 26 Epheſ. 5. 9. Coloſſ. 3. 16.* *m ep. 119. c. 18.* *n de Inv. rer. c. 2.* *o De Ora. c. 12. num. 34.* *p de Hor. Can. c. 2. num. 22.* *q 2. Reg. 6. 5.* *r 2. Eſdr. 12. 36. & ſeq.* *ſ Iſa. 6. 3.* *t Serm. 211. de Tempo. Auguſt. cantandi verbo abuſus, quum id de miſſis uſurpat.*



lent breviùs quidem, præſertim viri potentes. Hoc tempore Galli *cantare Miſſam* dicunt, quomodolibet celebretur, etiam ſine cantu. Colligit ex eo Baronius *a* cani olim ſolitas omnes Miſſas: & in introitu Miſſæ dicta antiphona, nunc Pſalmum qui ſequitur, non integrum ex more priſtino, ſed ejus unum verſum dici. Albinus *b* nonnihil favet huic ſententiæ. Mitto, in proceſſionibus antiquis, & hujus temporis, ritum Pſalmodiæ, ita ut Pſalmodiæ nomine proceſſio ipſa intelligatur: apud Nicephorum *c* extet templum S. Porphyrii *d*. Conſuetudinem, uſumque veterem appellat Ambroſius *e*. Non omittam hìc Aquiſgranenſes de cantu Pſalmorum decretum, in c. 137. *Pſalmi in Eccleſia non curſim, & excelſis atque inordinatis, ſeu intemperatis vocibus, ſed planè, ac dilucidè, & cum compunctione cordis recitentur: & ut recitantium mens illorum dulcedine paſcatur: & audientium aures illorum pronuntiatione demulceantur*. Quoniam quamvis cantilenæ ſonus in aliis officiis excelſa ſoleat edi voce, in recitandis tamen Pſalmis hujuſcemodi vitanda eſt vox. Lege quæ dicuntur infrà Pſalmo XXVI. verſ. VI. ſub finem. Agere hìc poſſem de modulationis utilitate, quæ apparet non in hominum dumtaxat componendis moribus (Empedocles enim hac arte in cædem ruentem repreſſit juvenem: Pythagoras alterius libidinem reſtrinxit: Antigenides Alexandrum ab epulis ad arma exilire fecit: David noſter vexatum à dæmone Saulem recreavit, liberavitque) ſed etiam in mitigandis, incitandis beſtiis, ut de delphinis vulgo notum, de quo ſcribit Job *f*, de unicorne Euthymius. Hoc aliàs: & legendi tractatus de muſica: Auguſtinus *g* verò de fructu quem ipſemet colligebat ex cantu Pſalmorum: ubi tamen de Athanaſio, qui tam modico flexu vocis faciebat ſonare lectorem Pſalmi, ut pronuntianti vicinior eſſet, quàm canenti, etſi tandem in cantu li quidæ vocis, & in convenientiſſima modulatione magnam ſe utilitatem agnoſcere fateatur.

*a To. 5. Annal. pag. 418. & 419.* Olim omnes Miſſæ cani ſolitæ. *b De div. offic. C. de Celebr. Miſſ. pſalmodia.* Nomine proceſſio intellecta. *c lib. 13. c. 8.* *d Apud Sur. To. 1. in vit.* *e Epiſt. 29.* Aquiſgranenſ. de cantu pſal. decretum. Modulationis utilitates. *f c. 39. 28.* *g 9. Confeſſ. cap. 6 lib. 10. cap. 21.*

Porrò quia Eccleſiaſticarum erat per ſe perſonarum officium. Eccleſiaſtica recitare officia Pſalmoſque propterea Ruſticum inſtituens Hieronymus *h* monachum, præſcribit, ut Pſalterium diſcat ad verbum. Gregorius autem de alio, cui nomen etiam Ruſtico, licèt vigilans diceretur, & Anconitanus Epiſcopus ex Diacono electus eſſet, juſſit inquiri, an memoriter Pſalmos teneret *i*. Joannem Presbyterum non permiſit ordinari Epiſcopum Ravennæ; quia hæc cum res, ut ipſe dicebat, minus ſui profectò ſtudium habere demonſtrabat *k*. In Decreto *l*, quod ex Auguſtino, Beda, & aliis depromptum eſt, habetur, nomen Sacerdotis vix in eo conſtare, qui non didicerit Pſalterium, Computum, homilias per circulum anni Dominicis diebus, & ſingulis feſtivitatibus aptas, Canonem pœnitentialem, librum Sacramentorum, Lectionarium, Antiphonarium, Baptiſterium. Narrat Theodorus Lector, *m* Archiepiſcopum Leonem in more habuiſſe, ut neminem in ſacrum Ordinem acceſſeret qui Pſalterium neſciret. Prodit etiam Nicephorus *n*, Callixti Gennadium Conſtantinopolitanum, qui non prius Pſalterium ſedulò in ore habuiſſet, ordinare Sacerdotem noluiſſe.

Eccleſiaſticarum perſonarum officium pſalmos recitare *h Epiſt. 4.* *i lib 12. Epiſt. ep. 6.* *k l. 4. Ep. 45.* *l d. 38 c qua ipſis.* Cui non conveniat nomen Sacerdotis. *m in Collect.* Archiepiſc. Leo neminem in S. Ordinem accenſebat, qui pſalterium neſciret. *n 25. Hiſt. c. 23.* Nicephorus Gennadium cui Sacerdotem ordinare voluerit. Frequens pſalmorum tractatio. *o Hom. 6. de Pœnit.* *p Ad Marcellinum.* *q De Cano. obſer. propoſ. 8. & 9. & 11.* *r in Regul.* perfecta orandi forma in pſal. *ſ Gradu 4.* Arma juvenum pſalmorum cantus. *t epiſt. 120. inter epiſt. Baſilii.* Baſilii & Auguſt. circa pſalmos ſtudium. *u Poſſidius in vita.* De villula Chriſti Bethlehem circa pſalm. cantus quid referat Hieronymus.

Ad extremum, divina providentia factum eſt, ut ex divinis litteris tam crebrò Pſalmi frequententur quovis tempore, à quolibet homine, in omni negotio, otioque, ut præclarè demonſtrat Chryſoſtomus *o*, præterque Athanaſium *p*, & Baſilium, Euthymium, Hilarium, Auguſtinum, ac reliquos in Prologis ad Pſalmos, etiam Radulphus Tungrenſis *q*, & Turrecremata *r* piè, & copioſè. Inter alias cauſſas illam dat prior, ut concipiamus ſpem veniæ peccatorum: talique de cauſſa ſæpius ex epiſtolis Pauli, qui & ipſe perſecutor Eccleſiæ fuit, in Eccleſia Sacras Lectiones uſurpari. Omnis fere quoque in Pſalmis quodammodo continetur Scriptura, omniaque myſteria breviter ac ſuaviter, ut Dionyſius *ſ* affirmat. Gregorius *t* autem ſcribit, quod vox Pſalmodiæ, ſi cum intentione cordis agatur, Omnipotenti Deo aditum ad animam aperit, ut intentæ animæ vel prophetiæ myſteria vel compunctionis Spiritum fundat.

Pertinere huc poteſt, quod Gregorius *u* Magnus præ modeſtia cavens in Eccleſia legi Commentarios ſuos in Job, hortatur eos legi, qui eſſent in Pſalmos, quòd mentes ſæcularium ad bonos mores præcipuè informarent. Innocentius III. *x* inter omnes Orationum ſpecies docet poſt orationem Dominicam, perfectam in Pſalmis formam orandi reperiri. Scribit Climacus *y* ex ſententia Patrum, arma juvenum, Pſalmorum cantum eſſe, ſicut murum orationem, lavacrum, lacrymas. Decumbens Baſilius exponi ſibi ab amiciſſimo Gregorio Nazianzeno, cujus doctrinam magni faciebat, Pſalmos poſcebat *z*: AUGUSTINUS, eos qui ſunt de pœnitentia ſub mortem recitabat *a*. HIERONYMUS teſtatur in villula Chriſti *b* Bethlehem extra Pſalmos ſilentium fuiſſe, aratorem ſtivam tenentem *haleluyah* decantaſſe, ſudantem meſſorem Pſalmos ſe avocaſſe, & curvum attondentem vitem falce vincitorem, aliquid Davidicum ceciniſſe, hæc in ea provincia fuiſſe carmina, has, ut vulgo dicitur, amatorias cantiones, hunc paſtorum ſibilum, hæc arma culturæ. Patres Græci Pſalmum XVII. exponentes, quum dicit David *c*: *Propterea confitebor tibi in nationibus Domine, & nomini tuo Pſalmum dicam*, obſervant Davidem prædixiſſe, ubique ac perpetuo decantandos Pſalmos, ſuos in Eccleſiis. Idem præterea indicant alia verba *d*, *Confitebor tibi in Eccleſia magna, in populo gravi laudabo te*: & *e*, *Confitebor tibi in populis Domine, & Pſalmum dicam tibi in gentibus*; vel *nationibus f*, & *g*. *In Eccleſiis benedicam te Domine*. Caſſiodorus in præfatione ad inſtitutiones ſuas præcipit Chriſti tyrones Pſalmos primùm ediſcere præ aliis Scripturis divinis: teſtaturque HIERONYMUS in epitaphio Paulæ hanc etiam Hebraicè Pſalmos memoria tenuiſſe ac decantaſſe. De laudibus commodiſque Pſalmorum tractant omnes enarratores, & ad Marcellinum ſcribens Athanaſius, & Rodulphus Tulgrenſis libro de Canonum obſervatione, propoſit. 9

*x ep. 17.* *y verſ. 50.* *z Pſal. 34. 18.* *a Pſal. 56. 10.* *b Pſ. 107. 4.* *c Pſ. 25. ult.* *d Ant. Caracciol in notis ad conſtit. Cleric. Regu.*

Exiſtimant aliqui *h* ex vetere ritu eos, qui vocantur pœnitentiales. Pſalmos, flexis genibus; ceteros in choro recitandos, ſtando. Primùm probat uno exemplo, quia in vita Anſelmi narretur circa feretrum Oſberni Monachi alios fratres circumſediſſe, Pſalmos pro anima ejus decantando: ratione item una, ex Tertulliano *i*, qui ſcribit eſſe diſciplinam adgeniculandi, cum exomologeſis fit poſternendi & humilificandi hominis cauſa. Secundum confirmant Philonis *k* teſtimonio, Dionyſii *l*, Juſtini *m*, Athanaſii *n*, regula Pacomii, & utriuſque Macarii, Baſilii *o*, Chryſoſtomi *p*, Cyrilli Monachi *q*, Turonenſis *r*, Sophronii *ſ*, aut Joannis Moſchi, Concilii Aquiſgranenſis *t*. Aſſerunt & exempla eorum, qui vi ſibi facta, & peculiari etiam Dei adjuti ope id conſtanter factitabant, ut Hieronymi *u*, Elpidii *x*, Adolii *y*, Quiriaci *z*, Platonis, Abrami. Ad hæc afferunt verba Chriſti, *quum ſtabitis ad orandum*: & exemplum in hymno poſt cœnam *a*, qui ſex conſtabat Pſalmis, & à ſtantibus perſolvebatur: idemque poſt ea uſurpatum à Petro; ſed & Angelos eo ſitu pſallentes auditos *b*. Denique quia non eſt miniſtri ſedere, ſed ſtare, ut ait Chryſoſtomus *c*, & irreverens eſſe aſſidere ſub conſpectum Dei, Angelo adhuc orationis adſtante Tertullianus *d* ſcribit, quique hoc faciat, exprobrare Deo, quod nos oratio fatiget.

Qui pſalmi flexis genibus, qui ſtando recitandi exiſtimentur. Circa feretrum. Oſberni monachi obſervata. *e l. de pœnit.* *f De vita contempl. & de Agricul.* *g Epiſt. 8. & Eccl. hier. c. 3* *h Apolo. 2.* *i De Virgin.* *k Epiſt. 63. ad Neocaſ.* *l Hom. 14 in 1. Tim.* *m in vita Joan. Silentium cap. 62* *n De glor. mar. c. 30.* *o Cap. 184.* *d cap. 131.* *q in Suida.* *r Apud Theodor. in Lauſiaca c 37.* *ſ ibid. c. 104.* *t apud Metaph. c. 17.* *u In vita c. 33. apud Theod. Stud.* *x in vita.* *y Marci 11. 25.* *z Clem 5. recogn.*

Atqui ut hinc ordiar, ſi hæc movet ratio, quare in ſolemni pſalmodia pro defunctis, ut iſti dicunt, ſedetur; cur non addunt ad preces tempore jejuniorum Pſalmos quoſdam flexis genibus recitari? An non major reverentia genibus flexis orando Pſalmos uſurpare? Id vero illi non faciunt. Publicanum quum ſtans apud ſe orabat *e*, credo non dicent erecto corpore oraſſe; nec dubitare poſſunt *ſtandi* verbum, quod plurimis oſtendi exemplis poteſt, non ſitum erecti, ſed præſentiam tantum corporis indicare. Deinde mirum eſt, præter unum aliquem ordinem, nullum hodie extare, qui eo ſitu corporis, aliterve, quam ſedendo, Pſalmos in choro decantet. Argumentis aliis reſponderi poſſet, *ſtandi*, verbo, quod nunc innui, ſignificari decentem ac reverentem corporis ſitum, incompoſito oppoſitum, ut per modum jacentis, vel ſimilem. Conſtat etiam nonnullos de ſeſſione agere ſacrificii tempore, quæ nec iſto tempore uſitata eſt, quum ordinariæ nec ſolennes longiores Miſſæ celebrantur. Angelis magis convenit ſtandi poſitio quam alia ulla. Concedo ſatis diſerte de prædict. ſtatione nonnullos loqui, maxime Athanaſium, Turonenſem, Sophronium, Concilium Aquiſgranenſe, & addi poteſt Amalarius, qui ſcribit, quando cantabant monachi, ſtare ſolitos, ut ex ſtatu corporis de-

*a Iſ. 6. Apoc. 7. Caſſian. 2. Inſt. c. 3. Bernard. ſerm. 3 de viſione I.* *b hom. 13. in epiſt. ad Heb.* *c de Ora c. 12* *d Luc. 18. 11.* Standi verbum quid ſignificet interdum. *e 4. de Eccl. offic. c. 3.*

demonſtrarent effectus ſuæ mentis, hoc eſt, paratos ſe eſſe ſive ad domandam carnem, ſive ad exercitium corporis in cauſſa ſua, & fratrum. Non idem profectò cunctis ea in re ſemper fuit, & Caſſianus *a* indicat monachos Ægyptios ſedendo Pſalmos recitaſſe.

a 2. *Inſt. cap.* 5. & 11.

## CAPUT XV.

### *De Pſalmorum obſcuritate.*

Multiplex obſcuritatis Pſalmorum ratio.

COmmunis Pſalmi cum reliqua Scriptura obſcuritatis ratio multiplex eſt, ab altitudine myſteriorum, varietate ſenſuum, prædictione rerum futurarum, contradicentium locorum quadam ſpecie, peregrinitate linguarum, quæ in alias non ita commode vertuntur, ut Auctor monet Eccleſiaſtici *b*; figurato locutionis genere, omnium penè aliarum ſcientiarum comprehenſione, tranſitu ex una in aliam perſonam, ex uno in aliud argumentum, ex littera ad Spiritum. Signati libri ſeptem ſignacula *c*. Hugo Cardinalis *d*, docet eſſe ſeptem obſcuritates, nempe profunditatem ſententiarum; multiplicitatem intelligentiarum; velamen figuratum; incomprehenſibilitatem rerum; obſcuritatem myſteriorum; dulcedinem tropologiarum; infallibilitatem omnium eorum, quæ in Scripturis continentur. Poſſunt hæc de libro dici Pſalmorum, quem ſolus is omnino aperire poſſit, *qui eſt Leo vincens de tribu Juda, & radix ipſiuſmet David* e, *habens clavem ejuſdem, ita ut claudat, & nemo aperiat; aperiat, & nemo claudat* f. Quare annoſiſſimis, acutiſſimis, flagrantiſſimiſque cupiditate diſcendi, hoc inquit Auguſtinus, *g* contingit circa ſtudium Scripturarum, quod eadem Scriptura quodam loco habet *h*; *Quum conſummaverit homo, tunc incipiet; & quum quieverit, aporiabitur*, ὑπορηθήσεται, ideſt, *novis aporiis*, ſive *dubitationibus urgebitur, perplexus erit*.

b *In Prolog.*
c *Apoc.* 5. 1.
d *ibid.*
e *ibid.* v. 5.
f *cap.* 3. 7.
g *Epiſt.* 5.
h *Eccli.* 18. 6

Cur adeo difficilis Scripturæ ſacræ intelligentia.

Illa graviſſima æquè omni conveniens Scripturæ cauſſa, cur adeo difficilis & obſcura ſit ejus intelligentia, quia requirit eumdem in lectore Spiritum, quo edita eſt: Tradunt eam cauſſam Baſilius *i*, Bernardus *k*, Caſſianus *l*. *Numquam intelliges David m*, ait Bernardus, *donec ipſa experientia ipſius Pſalmorum affectus indueris*. Quo ſane difficiliores Pſalmi ad percipiendum videntur, quum pluſquam ceteræ Scripturæ affectibus abundent, & quicquid in illis eſt, in ſe contineant. Accedit ipſum genus ſcriptionis metro conſtans, ac plus artis habens, & magis conſuetudine, & uſu loquendi: præſertim quum ſit carmen lyricum, quo, qui ſcribunt poetæ, vix adhibitis quoque Commentariis, intelliguntur. Sed quum adeo terantur à nobis; hinc turpe non intelligi, & quod oratur, neſcire. Hinc ſi intelligantur, hæret in memoria quod intellectum eſt, juvatque ad aliarum Scripturarum intelligentiam, quod cognitum eſt in Pſalmis, in quibus aliæ Scripturæ quodammodo concluduntur.

i *Proœm. in Iſaiam.*
K *Ad fratres de Monte Dei*
l *Coll.* 8. c. 3. *Coll.* 14. c. 16 *lib* 3. *Inſtit. cap.* 33. & 34
m *ſupra.*
Pſalmorum carmen lyricum.
Pſalmos intelligi turpe eſt: & quod oratur, neſciret.

## CAPUT XVI.

### *De nonnullis enarratoribus Pſalmorum Latinis, Græciſque, judicium.*

Liber Pſalmorū pluribus enarrationibus tractatus, quam alius Scripturarum.

QUoniam nullus divinarum Scripturarum, plurium tractatur enarrationibus liber, quam Pſalmorum, utile facturum Lectori exiſtimavi, ſi quod meum de nonnullis eſſet judicium, liberè, ſed modeſtè, aperirem, de quibus non ſunt eædem omnium ſententiæ.

Arnobii in Pſalmos commentarius, & contraria ſententia.
Trithemius à Sixto Senenſi refellitur.

Ordiar ab ARNOBIO. Trithemius adſcribit Commentarium in Pſalmos eidem ARNOBIO, cui & opus adversùs Gentes, vocans Presbyterum, Philoſophum, ac Rhetorem inſignem. Aſſeverat idipſum Eraſmus Præfatione in eumdem, ad Adrianum Papam VI. Refellit merito Sixtus Senenſis *n*, eumque tranſcribens Poſſevinus *o*, ob ſtyli ruditatem, & barbariem, & quia Photini meminit Hæretici *p* in Pſalmum centeſimum nonum, qui multo junior ipſo fuit: quum tamen argumentetur Eraſmus nullius Hæretici meminiſſe Arnobium, cujus ætas poſterior ſua eſſet: (adde quod citet Phyſiologum *q*) præterea *r* quoniam ut Hæreticam, illam ſententiam refert, quam tradidit Auguſtinus de prædeſtinatione: ad hæc non recenſet Hieronymus *ſ* in operibus illius iſtum Commentarium: adde nec Honorium, mentionem facere, aliumve paullo antiquiorem; poſtremo Laurentius, & Ruſticus, Epiſcopi, quibus dicat Auctor opus, cum Auguſtino interfuerunt Concilio Carthaginenſi. Hoc vero docet antiquum fuiſſe, quiſquis fuerit, & quia illas uſurpet voces, *floriete*, & *oſſum t*, quas ſua ætate in ore populorum Auguſtinus fuiſſe ſcribit *u*, & quorum profert Beda in ſuo Pſalmorum Commentario teſtimonia ex Arnobio. Ceterum, quas eidem Auctori laudes Eraſmus tribuit à perſpicua brevitate, eruditione, feſtivitate, pietate, orthodoxa doctrina, facilè conceſſero, ſi judicium illud eximas, quo ſententiam Auguſtini de prædeſtinatione cenſere Hæreticam videtur. Franciſcus Fevardentius in Arnobii cum Serapione altercatione, quam appinxit Irenæo ſuo, arbitratur illius auctorem altercationis Arnobium hunc ipſum eſſe qui Pſalmorum; eadem namque in ea repeti, quæ ſint in Commentario Pſalmorum, ſtylum eumdem: reprehendi ibi Arianos, Neſtorianos, Photinianos: laudari Ambroſium, Auguſtinum, Damaſum, Cyrillum Alexandrinum, Leonem.

n *lib.* 4. *Bibl.*
o *in Apparatu ſacr.*
p *in pſ.* 109.
q *in pſ.* 62.
r *in pſ.* 108. & 117.
ſ *in Catal.*
t *in pſ.* 131.
u *in pſ.* 138. 2. *de Doctri. c.* 13. & *in pſ.* 131.
Arnobii cum Serapione altercatio.

De Ruffini in Pſalmos commentario ſententia.

Is, de quo minus poſt Arnobium, dubito ex Latinis, eſt Ruffinus: cujus extat nomine in ſeptuaginta quinque Pſalmos Commentarius. Non eſſe, ut in titulo tamen eſt, Aquilejenſem illum Presbyterum antagoniſtam Hieronymi, ratio una perſuadet, quod, ut obſervabit qui leget, ipſiſſimas Auguſtini uſurpat, verbis etiam iiſdem, licèt redactis in compendium, ſententias; inveriſimile autem eſt, Auguſtino etiam aliquanto ſeniorem, & qui ſit auſus cum Hieronymo contendere, Auguſtini fere perpetuo uſurum doctrina fuiſſe verbiſque. Immo nonnumquam tranſcribit multo recentioris Gregorii ſententias *x*. Sed nec ullum legi qui operibus Ruffini annumeret dictum in Pſalmos Commentarium, non Gennadium, non Honorium, non Trithemium, non Sixtum, non Poſſevinum.

x *ut in pſ.* 68 *ex Gregor. hom.* 12. *in Ezech.*

De Hieronymi Commentariis in Pſalmos controverſia.
Pſalmorum Commentarius diverſo ſtylo conſcriptus.
Hieron. in Pſal. commentarii ex ore dicentis & homilias ad Monachos habentis in Bethlehem collecti.

De Hieronymo lis major. Nam Marianus Victorius, qui opera illius emendatiora edi curavit, Præfatione ad Tomum VII. contendit, quem in eumdem conjecit Tomum, Pſalmorum Commentarium, Hieronymi genuinum opus eſſe, quamvis diverſo ſtylo ſit conſcriptus, quia non ipſemet illum ediderit, ſed alius ex dicentis ejus & homilias familiariter ad Monachos habentis ore, in Bethlehem, collegerit, quo ipſo in loco degiſſe ſe hìc idem Auctor ſatis indicat in expoſitione Pſalmi nonageſimiquinti. Hac ratione moveri ſe maximè, ſcribit Victorius, quod ſcilicet vixiſſe ſe Auctor ſignificet in Bethlehem: & ex modo dicendi per homilias, ſatisfacere ſe credit argumentis, quæ contra abjiciuntur de phraſi contemptiore, & ſordidiore, de humiliore tractandi ratione, ſecundùm ſenſus potiùs myſticos, quam litterales, (adde de editione quam ſæpe ſequitur: nec ea quæ revera Hieronymi, nec illa quam ipſe correxit ex LXX.) & de aliis hujus generis nonnullis, quæ à Sixto Senenſi *y* afferuntur, & ab Eraſmo.

y 4. *Biblioth.*

Hieronymum non eſſe, qui Hieronymi nomine circumfertur Auctor Commentariorum in Pſalmos, Conſalvus *z* Ponte de Leon ſatis præ ſe fert. Negant præter iſtos alii à Hieronymo ſcriptam enarrationē illam, quæ libris ejus nunc inſeritur, ut Bruno Amorbachius, *a* Pererius noſter *b*: dubitatque in negantem potiùs, propendens partem Matthias Bredembachius, *c* Lucas Burgenſis *d*, MARTINUS à Carcere *e*, HIERONYMUS VALERIUS *f*, & Pium V. imperaſſe teſtatur Victorius, inter Hieronymi Opera dubia collocari. Idem videtur mihi, tum etiam propter nonnulla ex argumentis, quæ colligit Marianus, nec ſatis, meo judicio, ſatisfecit illis, ſicut nec Ricardus *g* Cenomanus, qui eſt in oppoſita ſententia cum illo; ut quod utatur in Pſalmo decimo ſexto Eucherii auctoritate, qui junior fuit Hieronymo: quod in CXXXII. dicat ſe unum fratrem habuiſſe, eumque ſæcularem, cum Paulianus frater Hieronymi Presbyter fuerit, & divinet qui antequam Presbyter ille eſſet, id Hieronymum ſcripſiſſe dicit: quod præter morem, lucubrationem iſtam nulli, qui HIERONYMUS creditur inſcribat; tum præterea; quoniam teſtimonia ex Commentario Hieronymi in Pſalmos citata à Patribus, vel Conciliis, in hoc non extant, aut non eo modo quo citantur, ut conjectura ſit, quiſquis eum confecit ex Hieronymi, & quorumdam aliorum ſcriptis contexuiſſe, ut ex Ambroſii, & Hilarii, quantum quidem ipſe deprehendiſſe videor; quamvis Ribera *a* noſter aſſerat etiam ex Origene, citans ut verum Hieronymum. In Concilio Pariſienſi tertio *b*, quod ex Hieronymi Commentario producitur in Pſalmum decimum quartum, omnino non reperitur: quod Gregorius *c*, & Remigius ex Pſalmi quinquageſimi enarratione recitant, pluribus referunt verbis, quàm ſint in putato Hieronymo: ſicut & quod AUGUSTINUS *d* ex ea, quæ eſt in Pſalmum nonageſimum tertium. Id quoque quod Bruno Carthuſianus refert ſub finem Pſalmi LXXI. ex Hieronymo, in hoc ita ut refert, non extat. Beda in Pſalmum LXXIII. ait ſcripſiſſe Hieronymum contra Chaldæos; Caſſiodorum contra Romanos, qui nomen habet Hieronymi utramque ſententiam ſequitur. Quod planè convincit aſſumendum eſſe, non integrum Hieronymianum, ut ita dicam, panum.

z *in Theophanis ep.* 3. *n.* 20.
a *Praf. in pſ. Hieron.*
b *in pſ.* 4. *Pænit. manuſcriptum.*
c *in pſ.* 54.
d *Notat. in pſ.* 55.
e *in pſ.* 44. *v.* 9.
f *in pſ.* 63.
g *Praf. in Lombardum in pſalter.*
Paulinianus Presbyter, Hieron. frater.



a *in Zachar. c.* 9. *num.* 41.
b *l.* 1. *cap ult.*
c *in Pſal.* 4. *Pœnit.*
d *Epiſt.* 11.

Idem cenſeo de Caſſiodoro in eumdem illum Pſalmum quinquageſimum, ubi è contrario, dum Hieronymi meminit, innuit profectò plura in vero ipſius Commentario fuiſſe: quam quæ modo ſunt in pſeudos Hieronymo. Nam affirmat luculenter, & breviter de Trinitate diſſeruiſſe: quum tamen præciſis tantùm verbis ibi dicatur Spiritum principalem eſſe Patrem, Spiritum rectum, Filium, Spiritum ſanctum, ipſum Spiritum Sanctum.

Rationes Victorii, & Ricardi nihil aliud profectò perſuadent, niſi antiquitatem ejus, qui Hieronymi nomine circumfertur (vixiſſe namque ſe ſignificat, in pſalmum centeſimumoctavum, quadrigenteſimo Chriſti anno) & coacervatam ex aliis eruditionem. Quamquam quod ait Victorius Rapſodum iſtum ſignificare in pſalmum nonageſimum quintum, ſe in Bethlehem vixiſſe, equidem non conſentio, quum ſolùm doceat felicem eſſe, qui habeat illam in corde, quemadmodum & qui portet in pectore crucem, reſurrectionem, locum nativitatis CHRISTI, & locum aſcenſionis: neque in pſalmum centeſimum decimum nonum extat verbum ullum, quo inſinuet ſe fuiſſe in Jeruſalem, ſicut aſſeritur ab eodem Victorio. Ex quo tametſi concederetur, nihil neceſſario efficeretur: fierique poteſt; ut per imprudentiam, cum ceteris collegerit is, quod minus ad rem erat, videlicet ætatem, quam verus de HIERONYMUS exprimebat. Ipſemet HIERONYMUS in Catalogo prodit ſe in pſalmos edidiſſe à decimo uſque ad decimum ſextum tractatus ſeptem: extant idem explanationes per Epiſtolas editæ pſalmi *e* quadrageſimi quarti, octogeſimi noni *f*, centeſimi vigeſimi ſexti *g*: meminit etiam, pſalterium à ſe totum expoſitum eſſe *h* Commentariolis *i* quibuſdam; quæ videntur, illa eſſe, quæ circumferuntur, intellexiſſe Joannes de Polemar *k*, quando recitans Hieronymi teſtimonium, quod extat in pſalmum VIII. appellat minus breviarium illius: ſed & in Iſaiam *l* de titulis 8. & 83. pſalmis, qui habent torcularia, dicturum ſe pollicetur, quod tamen in Commentario qui nunc extat, minimè fieri videmus.

Hieronymi in Pſalmos tractatus ſeptem, & alia in Pſalmos opuſcula.
e *epiſt.* 140.
f *epiſt.* 139.
g *Epiſt.* 141.
h *in c.* 1. *Habacuc.* & *in Proœ. in Malach. l.* 1. *con. Ruffin.*
i 1. *con. Ruffin.*
K *Tract. de e v. Domino cleric.*
l *in cap.* 63.
m *Tom.* 5. *Annal.*

Porrò quum in eodem Catalogo recenſere ſe dicat, quæ uſque ad THEODOSII annum decimum quartum ſcripſiſſet, non video cur vel BARONIUS *m* obitum illius in anno ponat THEODOSII decimo tertio, vel Suffridus Petri ad caput ultimum Catalogi ejuſdem apponat in margine notam numeri anni Domini quadringenteſimi decimi, quum eſſet quadringenteſimus vigeſimus: nam ſi dicas hunc non de ultimo, ſed de annis præcedentibus, intelligere, quibus libro ibi enumeratos compoſuerit, quidam ex iis etiam ante id tempus jam compoſiti erant. Sed hæc ad rem præſentem parum faciunt.

Latini Pſalmorum expoſitores paullo antiquiores.

Quod attinet ad alios Latinos expoſitores pſalmorum paullo antiquiores, illud occurrit in genere, quod dicam Hilarium, Ambroſiumque, qui non ſunt pſalmos omnes interpretati, Græcos plerumque ſectatos eſſe, ſicut & in aliarum expoſitionibus Scripturarum, ceteros Auguſtinum ferè deſcripſiſſe; qui de litterali ſenſu minus videtur ſolicitus, quàm de myſtico. Ex his Caſſiodorus etiam eſt, idque apertè initio præ ſe fert: quamvis de ſuo addiderit nonnulla, quæ ſpectant ad varias diſciplinas Grammaticæ; Rhetoricæ, Dialecticæ, Muſicæ, Geometriæ, Arithmeticæ, Aſtronomiæ, &c. Beda Haimo, Remigius preſſiores ſunt: S. Thomas medius, accuratiorque præ aliis litteræ tractator, qui unum tamen dumtaxat ſupra quinquaginta explanavit: prolixior ſive Hugo Cardinalis, ſive Alexander de Heles, & qui dudum priùs incognitus appellatus, anno demum milleſimo ſexcenteſimo tertio ſub Michaelis Ayguani Carmelitæ titulo prodiit. Catenam ex Latinis noſtris antiquioribus Hieronymo, Auguſtino, Caſſiodoro Remigio, Alcuino, Gloſſis, Petrus Lombardus contexuit: Petrus de Harentalis Ordinis Præmonſtratenſis etiam ex Gregorio, Hugone S. Victoris, Lyrano, & aliis, Franciſcus de Puteo Carthuſianus adhuc ex Hugone Cardinale, Innocentio III. Pero Cantore Pariſienſi: tandem Lipomanus generalem ex Græcis ac Latinis etiam recentioribus, cujus prima tantum pars in primos decem, Romæ prodiit anno M. D. LXXXV. quum reliquæ apud unum de Cardinalibus latere dicantur: quarum mihi legendarum poteſtatem ut faceret, impetrare non potui.

De Commentario ſub titulo Alexandri de Hales, controverba, & de Hugone Cardinali.
n 4. *Biblioth.*

Porrò ipſum prorſus Commentarius, qui ſub titulo Alexandri de Hales Venetiis editus eſt anno milleſimo quadringenteſimo nonageſimo ſexto à Gregorio de Gregoriis, tribuitur paſſim ab aliis Hugoni Cardinali. Poſſevinus in Alexandro ſcribit falsò alcribi Hugoni; in Hugone affirmat verè Hugonis eſſe. Trithemius, & Sixtus *n* Senenſis Alexandrum ſcripſiſſe dicunt poſtillam Annotationum in utrumque Teſtamentum, ſed de Commentario in Pſalmos propriè non meminerunt. Quamvis autem Alexander paullo antiquior Hugone ſit, & hac de cauſſa potius Alexandro adjudicari opus illud poſſet, quam Hugoni; tamen propterea magis credo Hugonis eſſe, quoniam nullum aliud extat Alexandri in Scripturam opus, ex quo conjecturam faciamus; & hoc cum reliquis Hugonis in illam operibus magnam prorſus ſimilitudinem habet. Non reperit hic auctor, ut loqui Maldonatus noſter ſolebat, fortunam apud alios, vir alioqui benè doctus, & quod attinet ad Pſalmos, ſi demas imperitiam linguarum ſæculo ipſius ferè communem, nulli poſtponendus, ſive myſticas quæras intelligentias, ſive litterales ſenſus.

Nicolai Treveti Notationes.

Nicolai Treveti Angli Ordinis Prædicatorum juxta Hieronymi ex Hebræo verſionem Notationes, quas manuſcriptas Bibliotheca Romana Collegii Anglicani ſuppeditavit mihi, breves, ac doctæ ſunt, dignæque prælo, vel hoc nomine, quod unus, quantum quidem ſcire poſſum, verſione illa in interpretando uſus eſt perpetuo, quam Hieronymus edidit ex Hebræa lingua immediate, vixit anno M. CCCLX.

Ex recentiorum tanta multitudine probantur mihi potiſſimùm Ricardus Cenomanus, Matthias Bredembachius, Hieronymus Varlenius, Franciſcus Titelmanus, Cornelius Janſenius, Gilbertus Genebrardus, Antonius Agelius, Jacobus Janſonius, M. Anton. Flaminius, Robertus Bellarminus. Hujus perſpicuæ paraphraſes cum ſelecta nonnumquam tropologia, & editionis vulgatæ apologia, quas publicis Eccleſiæ occupatus negotiis, horis deſcribit ſubſecivis, aut morulis potius, quas licet ei ſuffurari, non ita multo poſt, ut ipſe ſperare nos jubet, ad omnium utilitem evulgabuntur.

Græci Pſalmorum enarratores.

Adjiciendum nonnihil de Græcis quid videatur. Daniel Barbarus illigavit catena una in quinquaginta Pſalmos, vel potius Latinitate donavit, à ſancto jam quodam alio viro, ut ipſe fatetur, Præfatione ad Pium V. eam quam ille Græcè contexuerat. & continet Origenem, Aſterium, Athanaſium, Baſilium, Didymum, Euſebium, Chryſoſtomum, Theodoretum, Theodorum Heracleotem, Theodorum, Antiochenum, Nicephorum Blemmidam, Cyrillum, Heſychium, Hypathium, Nazianzenum, Apollinarium, Damaſcenum, Diodorum, Juſtinum, Severum, Nyſſenum, Aquilam, Theodotionem, Iſidorum, incertum auctorem: quamvis non omnes in omni ſemper Pſalmo, ut nec ex Commentario illorum dumtaxat in Pſalmos quum nec omnes ediderint Commentarios in ipſos. Euthymium prætermiſit omnibus merito præferendum, quod mirabili perſpicuitate ac brevitate, quæ aliorum Græcorum Commentariis continentur, collegerit. Fortaſſis exiſtimavit, quod & ego, nihil parumve diſtare Nicephorum ab iſto. Obſervavi enim, eum Græcè manuſcriptum ex Sfortiana mihi Bibliotheca commodatum le-

Euthymii Commentariorū perſpicuitas ac brevitas.

ſegens, Euthymio poſteriorem, compendio eadem aſ-ſere; quæ paullo pluribus verbis traduntur ab illo. Animadverti etiam Theodoreti, & Baſilii Scholia (homilias enim præterea nonnullas uberiores Baſilius edidit) propemodum eadem videri: nonnumquam etiam Chryſoſtomi homilias nihil ab iiſdem diſtare. Nec verò mihi Chryſoſtomi quæ leguntur in Pſalmos homiliæ, videntur omnes illius eſse, ſed Latini aliquæ Auctoris, in Latinis ipſis vocibus vim quandoque facientis. Nominat interdum Euthymius Chryſoſtomum, & Suidas poſt libros de Sacerdotio, præfert homilias in Pſalmos reliquis ejuſdem. Porrò reliquorum Pſalmorum Danielis ejuſdem catenam audio in Aquilejenſis Patriarchæ poteſtate eſse, fierique poſse, ut non ita multo poſt ad communem utilitatem, typis mandetur.

## CAPUT XVII.

### *Scopus Commentarii Pſalmorum.*

SI ante tot annorum centurias Theodoretus ſupervaceneum videri poſse dixit laborem, poſt alios tam multos edendi Commentarium in Pſalmos; quanto id ego magis affirmare debeam poſt plurimos alios qui A Theodoreto in eodem munere ſuccelſerunt, ac idipſum etiam quod ille præſtiti ſunt? Non excuſabo me pluribus. Id enitar, ut obſcuriores potiſſimùm quoſque obſcuriſſimæ hujus Scripturæ locos exponam, prius propoſito cujuslibet Pſalmi argumento. In expoſitione autem ratio à me habebitur litteralis præſertim ſenſus, facta collatione editionis Latinæ vulgatæ, cum aliis tum Latinis aliorum Pſalterium vel Patrum, cum Græca Hebraicaque, necnon Chaldæa interdum, Arabica, Æthiopica, Illyrica, indicato ſimul ſelectiore myſtico, quem Patres ipſi annotaverint, unde ſimul tum dogmata religionis, tum documenta morum trahi valeant.

In ceteris deprehendiſse videor quidpiam deſiderari, quum vel toti inhæreant vocabulis: vel ſenſum per ecphraſin tradant litteralem: vel de myſticis curent magis, ſive ad allegoriam præcipuè pertinentibus, ſive ad mores: de Patrum ſententiis non laborent; dogmata B inde noſtra non confirment. Sic fit, ut qui ſingula degustare velit, plures neceſſarios adire debeat, & cum labore, & cum jactura temporis. Iſtum ego laborem temporis otio utens, quod mihi Deus fecit, libenter ſuſcepi, ut ſi quo modo poſsem, aliorum commodis conſulerem.

JOAN-



A

# JOANNIS LORINI
## E SOCIETATE JESU
# IN LIBRUM PSALMORUM COMMENTARIA,
## *PSALMI PRIMI*
## TITULUS.

COmmunis opinio carere titulo, paucis demptis libris Græcis & Latinis, in quibus eſt, Δαυὶδ προφήτου, καὶ βασιλέως, μέλος, *David Prophetæ, & regis, carmen*, aut *Pſal. David.* Alii habent: ψαλμὸς τῷ Δαυὶδ, ἀνεπίγραφος παρ' Ἑβραίοις *Pſalmus David, ſine titulo apud Hebræos.* Credunt omnes compoſitum à B David; etiam hi, qui negant omnium auctorem eſſe: pauci, de quibus meminit Janſenius, ut Lyranus & Ludolphus, prorsùs improbabiliter cenſent præfationis loco Eſdram eum compoſuiſſe.

Carere titulo primū Pſalmum communis opinio. de auctore primi Pſalmi.

Cauſſam, cur ſit ἀνεπίγραφοι, hoc eſt, ſine inſcriptione, Auguſtinus aſſignat, quia propriam vocem Dei loquentis inducit: Sed & idcircò nec notam numeri ei affixam notat: & utrumque huic proprium eſſe. Hieronymus refert, quoſdam dixiſſe eſſe præfationem Spiritus Sancti. Infert Auguſtinus quanti fieri Pſalmus debeat, cui nec titulum auſus eſt ſcriba præponere. Caſſiodori ratio eſt, quia Chriſto ſoli maxime convenit, qui ſolus eſt omnino innocens: capiti autem noſtro nihil oportuit præponi. Favent qui alium locum: *In capite libri ſcriptum eſt de me*, *a* de Pſalmo iſto primo interpretantur, ut poſtea dicemus. Id Haymo, & Caſſiodorus tenent: Nyſſenus *b* cauſſam dat, quia non habet opus inſcriptione, quum ſit introductio ad philoſophiam ſpiritualem. Chryſologus *c* appellat Pſalmo- C rum præfationem, Pſalmorum Pſalmum, titulorum titulum, argumentum generans argumenta, totam cauſſam ſequentium canticorum: & ſicut clavis aulæ regalis ubi primam januam patefecerit, penetrales reddit intimas ac multiplices manſiones: ita pſalmum iſtum, ubi reſeraverit aditus intelligentiæ primos, Pſalmorum omnium pandere myſterium, pandere ſecretum.

Cauſſa cur ſit ſine inſcriptione. Cur nota numeri non ſit ei affixa. Præfatio Spiritus S. à nonnullis dicitur, Chriſto ſoli maxime convenit primus Pſalmus. a *Pſ.* 39. 8. b *Tract.* 2. in *Pſal. c.* 8. c *Serm.* 44.

Equidem non video, cur Dei potius hic induci vox dicatur, quam in quibuſdam aliis, qui a Beatitudine inchoant, ut 111. 118. 127. & Cajetanus Prophetam hic loqui aſſerit, & quod pluris refert, Hilarius, Bruno. Secundus quoque titulum non habet: notam numeri maxima pars codicum exprimit in hoc Pſalmo: denique alii Pſalmi multo apertius ſunt de Chriſto ſolo, in quibus tamen titulus ineſt. Quum porro Paulus *d* eum qui ſecundo nunc loco eſt, Pſalmum citans, nominaverit ſecundum, & dixerit eſſe David; probabilis conjectura, & hunc eſſe primum: quo eum etiam pacto nominatim vocant Patres, ut Euſebius *e*. Quamquam, ut in Præfatione monui, non poteſt conſtare, an diſpoſitio Pſalmorum, quæ nunc eſt, ab ipſomet David facta ſit; & videtur in ea non ſervatus ordo temporis, quo ſunt compoſiti: quoniam, ut ibidem dixi, exiſtimatur 71. eſſe planè ultimus: qua de re rurſus, quum ad eum pervenerimus; viſumque nonnullis omnium primum eſ- D ſe, qui 107. numeratur, in quo David excitans ſeipſum ad pſallendum, ait: *Paratum cor meum Deus, paratum cor meum: cantabo & pſallam in gloria mea, exſurge gloria mea, exſurge Pſalterium, & cithara: exſurgam diluculo. Confitebor tibi in populis Domine, & pſallam tibi in nationibus.*

Secundus Pſalmus ſine titulo: cum nota numeri in maxima codicū parte. d *Act.* 13. 33 & 36. Secundus à Paulo nominatus. e 12. *de Præp. cap.* 15. Ordo temporis non ſervatus in Pſalmis. Pſalmus 71. ultimus plane exiſtimatur. Pſalmus omniū primus nonnullis viſus.

Syrochaldæi in editione ſua, qua utitur hodie Maronitarum Eccleſia, præfigunt Pſalmis ſingulis, ut & aliis ſcripturarum particulis, titulos, qui denotant cui tempori ſit vel materiæ accommodata lectio talis Pſalmi, aut alterius ſcripturæ. Huic Pſalmo talem Titulum adſcribunt: *Pſalmus primus f hiſtoria concionis de optimis modis Canonis novem Beatitudinum, quæ ſunt in S. Matthæo. g* Poſſunt novem diſtingui in hoc Pſalmo: ſed ſolæ octo beatitudines *h* numerari ſolent: & non niſi ægrè accomodantur illa, quæ Pſalmus continet. Hugo Cardinalis aſſignat octo beatitudines contentis in Pſalmo ſententiis: totidem autem pœnas iiſdem, quas ex Cicerone numerat opponit Petrus Damiani *i*, *damnum, vincula, verbera, talionem; ignominiam, exilium, mortem, ſervitutem.*

Syrochaldæorū editio titulos temporis & materiæ cujusque Pſalmi præfigit. f Titulus primi Pſal. g *cap.* 5. 2. & *ſeqq.* h Octo beatitudines tantum numerari ſolitæ. i *lib.* 2. *cap.* 6



AR-